



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus**

**Pappus von Tratzberg, Franz**

**Ulm, 1725**

Fasciculus LVIII. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

stra jactos; attamen conceptæ semel in Deum fiduciæ tanquam vallo munitissimo innitebatur, quasi Davidico ore testatus: *si consistant adversum castra, non timebit cor meum, si exurgat adversum me prælum in hoc ego sperabo &c.* Fridericus secundus Saxonix Dux bellum Magdeburgico Antistiti illaturus, exploratores præmisit, teste Heliodoro lib. 5. c. 4. §. 4. visuros apparatus bellicum & consilia partis adversæ. Verùm ubi reduces retulere: nil opportunum pugnx parati, sed Antistitem auditum esse dicere, se soli Deo suam commisisse causam, quantocius Dux in hæc prorupit verba: *insanias alius, & bellum inserat ei, qui confidit: se Superiorem futurum Deo defensore.* Talia Christiane in augustiis habe pro oculis exempla, nullum tempus aut modum divinæ determinans Potentiæ, sed juxta monitum fortissimæ Judith v. 20. cap. cit. *expecta humilis consolationem.* Perpende: quomodo (ut mox laudata Amazon meminit) Abraham tentatus, & per multas tribulationes probatus Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses. Illi autem, qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam, & improprium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore. v. 25. & 26.



## FASCICULUS LVIII.

### Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

#### Doctrina I.

*Desumpta ex cap. 9. & 10. lib. Judith, in quibus describitur Humilitas & mortificatio Judith, armorum loco contra Hostes assumpta, additis precibus, in pulcherrimo deinde vestitu & ornatu Bethuliam egressa deductio ad Holofernem &c.*

Considera I. **F**ortissimam Judith probè scivisse: contraria non nisi contrariis impugnari, & curari; hinc altissimam Holofernæ arrogantiam debellatura, ad profundissimam humilitatem confugit, testante id S. Scripturâ c. 9. *ingressa est*  
 N. 381.  
 in



in Oratorium suum, posuit cinerem super caput suum, & prosternens se Domino clamabat ad Dominum &c. vivâ in Imagine circumferebat illam regii Vatis historiam, quam narrat, dum canit: *humilitatus sum, & liberavit me; noverat adhæc: Moysen de superbo Pharaone triumphaturum exclamâsse: quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto? non deerant invictissimo Samson ad prosternendas hostium turmas auctissimi enses, terrez hastæ, arcus selectissimi, & alia tam fortia, quàm pretiosa belli instrumenta: & tamen solâ mandibulâ asini usus est, quâ tot Philistinorum unicô stravit in prælio. Hoc factum expendens Petrus Dam. lib 6. Epist. 16. ait: quid est, per jacentem mandibulam mille viros occidere? nisi per linguas humilium, non credentium numerum à pravitatis sue statu dejicere? Jonathas insignem de hostibus suis victoriam reportaturus non erecto corpore, non elatâ fronte, non extento collô, sed juxta effatum S. Scripturæ 1. Reg. 4. *manibus & pedibus reptans*, castris sese immisit hostium. Job verò Diabolum ipsum superaturus, non sublimem turrim, sed abjectissimum conscendit sterquilinium; ut sic in fimo, tanquam in infimo, loco sedens, non haberet, quò profundius dejiceretur, sed potius contra hostem suum in altum surgeret, adjutus ab eo, qui suscitât de terra inopem, & de stercore erigit pauperem. Planè sicut ignis in sublimem & voracem flammam surrecturus prius flabellô multum deprimi debet; ita homo in magnum hostium suorum stragem se erecturus, debet per humilitatem multum prius demitti. Haud aliter sese gesserat (ut memini) Heroïna Judith, victricem de Holoferne superbissimo mortalium reportatura Laurum; profundissimæ ergo humilitati studuit, eò certior de triumpho, quò in sua fuerat abjectior reddita mente, dicens v. 16. citati cap. *humilium & mansuetorum tibi (Deo videlicet) semper placuit deprecatio*. Hanc ergò Christiane Lector imiteris, celebrem de hostibus, qui Bethuliam animarum tentationum impetu obsident, Victoriâ obtenturus.*

N. 382. *Considera 2.* Holofernem, qui tot Populos captivos duxerat, quoque fuisse ductum à pulcherrima Judith; ut in se figuram exprimeret illorum hominum, de quibus regius cantat Propheta Psal. 7. *lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit*. Sic agitur disponente Deo; ut mala plerumque redundant in ipsa Authorum suorum capita; adeò, ut propriam linguam detractor vulneret, propriam animam invidiosus tabescere faciat, iracundus gladium in pro-



propria figat viscera, libidinosus seipsum exurat. Sæpissimè contingit: venatores laqueum feris tendentes, dum incautiùs agerent captos esse. Ita Tamerlanes Tartarorum Imperator, cum felici pugna superasset Bejazetem: ut illum captivum deduxit ad Aulam, in regali Throno lateri suo assidere iussit, quærens ab eo: quid suo statuisset in animo: agere cum Tamerlane, si versa fortunæ alea captivum obtinuisset? cui Turca temerariò ore responsum dedisse fertur: ratum mihi erat, te mittere in ferream caveam, cum ludibrio per omnia loca circumducendum. Nec isthoc satur: equum conscensurus, dorso tuo haud aliter, quàm scabellò fuisset usus. Vix hæc audierat Tamerlanes, sententiam illicò tulit istam: ex ore tuo te iudico, idem supplicium sentiet superbia & crudelitas tua, quod mihi destinaveras. Filia Herodis insidiata capiti innocentissimi Joannis, quod etiam in præstium saltus sui obtinuit: cum hybernò tempore congelatum flumen transire tentaret, rupta glacie ad collum usque submersa est, capite intra glaciem interceptò. Reliquum deinde corpus saltantis in morem tamdiu agitare visa, donec impium caput à corpore per glaciem recisum remansit in superficie, publico expositum spectaculo. Ita Baron. ad an. 33. hoc spectaculum Christiane Lector oculis mentis tuæ præfige, ne oculis corporeis curiosius in mulierum formas cum Holoferne fixis, obscenò amoris vinculo ligatus cum ipso captivus ducaris, tartareis aliquando alligandus pœnis,

## Doctrina 2.

*Desumpta ex cap. 11. 12. & 13. lib. Judith, in quibus describitur Judithæ pietas, inter Idololatrias non corrupta, victoria scilicet Holoferni promissa, ejusque in Juditham benevolentia. Abscissò Holofernis capite Berbuliam redeuntis Judithæ Praconium.*

Considera I. **Q**uanta vis insit solidæ in Deum pietati, dum Judith N. 383, numerosò exercitu pessimorum hominum cincta, & in eorum commercio vivens, de se testari valuit cap. 11. *ego ancilla tua Deum colo etiam nunc apud te.* Imitabatur hæc fœmina infractam Moysis constantiam: qui etsi regia nutrire in Aula, falsorum Deorum Cultui addictissima, à veri tamen Dei Religione nec latum un-

Sss

guem



guem deflexit; atque hinc teste Apostolò Hebr. 11. *negavit, se esse filium filia Pharaonis, magis eligens affligi cum Populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem.* Antiquiorì adhuc exemplo sibi præluxisse noverat Josephum Patriarcham, qui ad supremum Principatùs Fastigium inter Idololatrias elatus, paternam Religionem, quam secum in Regionem Ægypti detulerat, coluit integerrimam. Sicut gemmæ in lutea loca abjectæ innatum sibi retinent Splendorem: ita homines solidâ in Deum virtute præditi, eandem conservant illæsam, etsi inter perverissimos vivere cogantur. Qua in re Solem quoque æmulantur, qui lucis defectum non patitur, etsi fœdissima transeat per loca. Optimè igitur exclamat in rem nostram aureus Orator, S. Chrysoft. homil. 11. in Epist. ad Philip. *virtus ubique lucet, & inexpugnabilis est. Non divitia, non paupertas, non Principatus, non subjectio, non morbi, non ignominia vincunt: sed his omnibus relictis ad Cælum ipsa pertingit; dumtaxat sit animus generosus, & nihil poterit solidum impedire.* Fingunt: arundinem inter & olivam olim certatum esse de virium robore. Arundo industræ suæ confisa, quâ ad omnem ventum se inclinat, & omnes in partes se flectit, frangi se non posse, etsi flecti possit, jactitabat. Oliva verò cum adversis semper obnitatur ventis, laurum sibi prælagiebat exinde: quòd nec flecti, nec frangi queat. Et verò hanc meritò obtinuit, existens symbolum solidæ & incorruptæ virtutis, qualem cum Moyse & Josepho orbi exhibuit Heroïna Judith, & qualem à suis servis etiamnum hodie exigit Christus: sed proh dolor! vix unquam reperit: quàm multi enim in Aulis Principum ad levem favoris favonium caput inclinant, adversò timoris aut spei flatu perterriti, ad quamlibet auram moventur, calida & frigida eodem ore perflant. Si vident: Principem Sacra parum æstimare, divinis rarò interesse officiis, conciones abhorrere; quasi imperium accepissent, & ipsi hæc omnia horrent, & fugiunt. Constantinus Imperator, ut animos suorum exploratos haberet, finxit se Idolis immolaturum, & ecce! illicò sequaces habuit ministros, qui se Idolorum cultui devoverant: quos tamen velut pessimi valoris arundines Regno expulit. O Christiane Lector! quam clara tu quoque præbes indicia, veram Pietatem nondum firmas in te egisse radices, qui non Principis aut Regis alicujus Majestate, sed abjectorum quandoque hominum verbis deterritus, à consueta erga Deum tuum devotione defistis. Quæso: quid tunc ageres, quando isthæc cum Judith



v. 12. citati cap. audires promissa: *tu in Domo Nabuchodonosor magna eris, & nomen tuum memorabitur in universa terra.* Quid si regales tibi apponerentur cibi, à lege tua vetiti? actum plane esset de vera fide, aut saltem de divinorum observantia Præceptorum.

Considera 2. Quàm verè Maria Virgo Præconium ab Ozia vi- N.384.  
trici Judith datum, sibi vendicet: *benedicta es tu, aiebat ille cap. 13. filia à Domino Deo excelsò pro omnibus mulieribus super terram.* Maria enim, dum sine omni labe originalis peccati concepta est, tartarei Holofernis caput felicissimò ictu demessuit. Fabula est superstitiosæ antiquitatis: Achillem Græci Agminis Ducem, armis hostium totò corpore impervium exstitisse, solâ plantâ & calcaneò exceptis. Achilles plurimos, Heroes invictissimos nobis exhibet S. Scriptura, ausos humani generis hostem ad pugnam provocare, exclamantes instar Tu onensis Episcopi: *quid adstas cruenta bestia? nihil in me sinesti reperies &c.?* talis Heros exstitit Jeremias, talis Joannes Præcursor Domini, qui non tantùm in cunis, sed in ipso materno utero stygium superâvere serpentem, jam tunc divinâ confirmati gratiâ: at nullus eorum attigit invictam Mariæ fortitudinem, dum nullus evitare potuit, ut à venenato serpentis morsu esset penitus immunis. De sola Virgine Maria testatur S. Scriptura Genes. 3. *tu insidiaberis calcaneo ejus. Ipsa conteret caput tuum.* Poteris ergo, ò Sacratissima Inferni Victrix, Mater ter admiranda! uti Prophetæ verbis Psal. 139. cantantis: *obumbrasti super caput meum in die Belli.* Quem locum Abulensis sic exponit: *caput Principium est vite, dies autem Belli est instans illud Conceptionis, in quo Dæmon peccati originalis maculâ dominatur de anima. Principium autem vite beatissima Virginis obumbratum fuit ab instanti Conceptionis vi Prævisionis Christi.* Ita ille. Hanc Triumphatricem Juditham roga tu Christiane Lector, ut suò præsidio te defendat: quatenus contractò jam semel vulnere peccati originalis, sed per sacrum Baptisma curatò, ab actuali impotèrùm securus sis: ut cum cœlestis Bethulix civibus æternum Pœana eidem liberatrici accinere valeas. Dein confusus de tali præsidio, & armis strenue mortificationis indutus, exi in castra hostium tuorum, passionum inordinatarum, instar Civium Bethulix irrumptentium in castra detruncati Holofernis. Cum Achior circumcide carnem proprii amoris. Videbis brevi jacere extinctum, quidquid indomiti appetitûs in te hucusque vixerat, bellum tibi movens; adjuvante hac gloriosâ muliere sic generosè superatus Dæmon dicet cum



cum Vagao v. 16. cap. 14. una mulier Hebraea fecit confusionem in Domo Regis &c.


### Doctrina 3.

*Desumpta ex cap. 15. & 16. lib. Judith; in quibus describitur Benedictio Juditha data post fugatos Assyrios & obtenta spolia. Canticum Judithae, oblatio ejus in Jerusalem &c.*

N. 385. *Considera:* **I**ngens quidem, & ad ea usque tempora inauditum existisse facinus, quod Judith patrauerat, amputandò caput Holofernis, & liberandò Populum Bethulæ. Verum hoc facinus, etsi summâ laude dignissimum, non tamen tanti videtur æstimare S. Scriptura, quanri æstimat admirandam hujus fœminæ castitatem; dum tribus annis viro orbata vivens, vixit integerrima, tot Victorias de se ipsa referens, quot à carnis petulantia tentationes diu noctuque fuerat passa. Verba S. Scripturæ sunt cap. 15. *fecisti viriliter, & consortatum est cor tuum, eò quod castitatem amaveris, & potest virum tuum alterum nesciveris &c.* hoc bellum, quod sua cum carne gerit homo, tantò gravius periculosiusque existit, quantò blandiora sunt arma, quibus nos impetit. Non enim in eo stringuntur acinaces & hastæ, non mugiunt tormenta currulia, non volitant ferrei aut plumbei globi, quæ omnia tremendi Martis instrumenta, aut fortibus muris aut arcibus scutis plurimi propulsant, nihil vulneris abinde passi: sed teste S. Leone Papâ Serm. 6. de Epiphân. *hostis deposuit odium, & vertit ingenium, inflammat concupiscentias.* Ab intra movetur pugna, ut muro valloque careat obsessus, quò se tueatur. Poterat Propheta regius gloriari, se occidisse ursos, dilacerasse Leones, prostrasse gigantem, integros in fugam egisse exercitus, at fateri debuit, ab imbelli venere victum se esse. Poterat carneus ille Colossus Samson suam jactitare fortitudinem, quâ solus ipse mille dejecit viros, mandibulâ alinæ pro gladio usus: at pariter fateri coactus est, parvulum illum puerulum ardentî face & spiculis armatum, omnes ejus perfregisse vires. Meritò igitur asserit S. August. in Serm. *inter alia certamina Christianorum duriora sunt praelia Castitatis: nam ibi continua pugna & rara victoria.* Ad hoc Bellum pugnamque provocate Lector quid ages: ut cum generosissima Judith Victoriâ de te ipso reportes? en imitare illam ipsam



ipsam, cujus Castitatem admiraris, in hoc capite tibi adeo deprædicatam. Hæc teste S. Scripturâ c. 8. lib. in superioribus Domus sua fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vite sue. Talia tu quoque arma accipe, & vinces auditurus aliquando in tui laudem, quod dictum est de Judith locò citatò: viriliter egisti. Victorque cantabis cum illa Canticum, quod nemo cantabit alius, nisi qui suæ carnis Victor Victorem agnum fuerit secutus. Vives demum cum Populo, qui juxta caput ultimum hujus libri est jucundus secundum faciem sanctorum, diesque Victoria tue in numero dierum sanctorum accipietur &c.



## FASCICULUS LIX.

*Doctrinarum Moralium & Asceticarum.*

### Doctrina I.

*Desumpta ex cap. 1. lib. Esther, in quo describitur Afsveri convivium & Gloria. Vasthi inobedientia & repudiatio.*

*Considera:* **G**Rande illud Convivium, ab Afsvero centum & viginti septem Provinciarum Rege institutum, symbolum esse Gloriæ & felicitatis æternæ, quæ ab ipso Christo Domino Convivium vocatur Luca 22. v. 30. testante hoc pariter Isaiâ, dum cap. 25. asserit: & faciet Dominus Exercituum Populis in monte hoc Convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum. Quidquid in dapibus ex saccharo aut melle confectis dulce est, in ferinis carnibus delectabile, in avibus palato acceptum: imò quidquid tandem sapore suo recreandæ poterit gulæ servire, mensa cœlestis suis hospitibus offerret; quia omnem dulcedinem formaliter vel eminenter in se possessam exhibet ille, qui primarium hujus convivii objectum est Deus. Torrente Voluptatis potabis eos, exclamat Michæas, inebriabuntur ab ubertate Domus tue. Nulla ergo erit hominis potentia, quæ non specialî gustu & Voluptate sit perfruitura. Intellectus divi-